IVSTI LIPSI

EPISTOLICA INSTITVTIO,

Excepta è dictantis eius ore, Anno cIↃ. IↃ. LXXXVII. mense Iunio.

Adiunctum est Demetrij Phalerei eiusdem argumenti scriptum.

EDITIO VLTIMA.

ANTVE PIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Ioannem Moretum.
cIↃ. IↃCI.

Cum Priuilegiis Cæsareo & Regio.

IVSTVS LIPSIVS FRANCISCO RAPHELENGIO SVO S. D.

QVANDO ita vis, fiat. Ede libellum, potiùs quàm vt alius alibi eum edat: quod ais te comperiſſe. Ego tamen non in hanc ſpem genui: & ſcis extemporali curâ ferè ante annos quattuor dictata hæc nobis, idque in vſum captumque ſaltem iuuentutis. Iis ipſis multa vtiliter tunc interfati ſumus aut miſcuimus, quæ hîc non habes, illuſtrandæ ſcilicet rei aut firmandæ. Nam hæc breuia. quæ tamen ipſa, quoniam vſui etiam aliis eſſe poſſe, tu aliique cenſent: age, nō inuideo, communica. ſed hac lege

vt omnes ſciant, diſcentibus, non doctis; iuuenibus, non adultis, hæc à nobis ſcripta: nec vnquam edendi iſto fine. Nam hæc talia ſeruabamus Dialogis *De instituendâ iuuentute.* Sed, vt initio dixi, quoniam vis, fiat: & tu in aliis magè ſeriis Plantinianum nomen famamq́ue propaga. Vale v. Kalend. Nouembr. ∞. Ic. xc.

IVSTI LIPSI EPISTOLICA INSTITVTIO.

CAPVT. I.

De nominibus variis Epistolæ: & de formâ apud veteres.

EPISTOLA quî rectè & laudabiliter ſcribatur, præire mihi propoſitum iuuentuti. ſed compendio: ad vſum, non ad ſpeciem: nec vt omnia quæ ad rem, ſed quæ in rem maximè, dicam.

EPISTOLÆ Græcanicum nomen eſt, ἀπὸ τοῦ ἐπιστέλλειν, quaſi *Miſſoriam* dicas:) Iſidorus interpretatur *Miſſam*) ſed in veteri tamen Latinorum vſu: & Plautus aliquoties vſurpat, & Afranius comœdiam etiam quampiam, *Epiſtolam* inſcripſit. *V* mediâ Politianus & non nemo hodie ſcribunt, freti auctoritate librorum & lapidum, in quibus crebrò ſic repereas: ſed, niſi fallor, numquam ante Veſpaſiani æuum. Et per O ſanè rectiùs ſcripſeris magiſque ἀναλόγως. Aliis etiam nominibus priſci appellauêre, *Litteras, Tabulas, Tabellas, Codicillos*. Litteras, (poëtæ etiam *Litteram*,) ob eminentiam, & quia hoc genus creberrimi inter litteras omnes vſus: Tabulas, Tabellas, Codicillos à materie; quia *ante chartæ & membranarum vſum* (*Iſidori verba cito) *in dolatis ex ligno codicellis epiſtolarum colloquia ſcribebantur. Vnde & portatores earum Tabellarios*

Lib VII. Orig.

*Lib. VII. Orig.

vocauerunt. Quæ transcripta moneo ex Hieronymi epist. XLII. Festus eidem rei: *Tabellis*, inquit, *pro chartis vtebantur antiqui; quibus vltrò citroq; certiores absentes faciebant: vnde adhuc Tabellarij dicuntur; & Tabellæ missæ ab Imperatoribus*. Inde Plautus epistolam circumscribens Pseudolo:

Per ceram & lignum, inquit, *litterasq; interpretes.*

Et paullo pòst:

Pro ligneâ salute vis argenteam remittere illi?

Eiusmodi Tabulæ Homero etiã notæ: apud quem Prœtus litteras Bellerophõti tradit scriptas ἐν πίνακι πτυκτῷ, *in tabella* **plicatâ*. Fieri solitæ inductâ cerâ, è fago, abiete, buxo, tiliâ siue phylirâ, acere, citro, ebore. quæ omnia exemplis firmare non hîc locus. Vsi tamen & chartâ ad hanc rem: idque ex Martialis lemmate facilè colligas, *Chartæ epistolares*. quod nomen hodieque Epistolæ tribuunt Hispani. Sed siue Tabella, siue Charta, paullò alia tamen eius quàm hodie forma. Pagellæ enim erant, & species minuti libelli. Hinc Ciceronis illa capies: **Extrema pagella pupugit me tuo chirographo*. * Et, *Altera iam pagella procedit*. Excipio, quòd publicas litteras ad S. P. Q. grandiore formâ, & transuersâ chartâ scribebant, scilicet quasi Historias. Suetonij hæc mens in * Iulio: *Primus epistolas ad Senatum, ad paginas & formam memorialis libelli conuertisse fertur, cùm antea* Coss. *ac Duces non nisi transuersâ chartâ mitterent*. Cui Isidorus dat lucem: *Quædam nomina librorum apud gentiles certis modulis conficiebantur: breuiore formâ, Carmina atque epistolæ; at verò Historiæ maiore modulo scribebantur*. Et hinc * Senecam explico: *Epistola non debet sinistram manum legentis implere*. quod scilicet referendum ad angustias & minutam libelli formam.

Iliad. ζ. ver. CLXIX.
* Siue, *duplice*.
Lib. XIV.
*Lib. II. ad Cœlium epist XIII.
*Lib. II. ad Brutum epist. XXV.
*Cap. LVI.
*Epist. XLV.

CAPVT II.

Quid sit Epistola, & quæ eius partes.

DEFINIO autem Epistolam : ſcriptum ANIMI NVNTIVM AD ABSENTES, AVT QVASI ABSENTES. Animi nuntium dixi : quia finis Epiſtolæ duplex ; aut affectui teſtando, aut rei ſignificandæ. Illum, ingerit Ambroſius ad Sabinum : *Epiſtolarum vſus eſt* (inquit) *vt diſiuncti locorum interuallis, adfectu adhæreamus*: Hunc alterum, Cicero, ad * Curionem : *Hac cauſſâ inuenta res ipſa eſt, vt certiores faceremus abſentes, ſi quid eſſet quod eos ſcire, aut noſtrâ aut ipſorum intereſſet*. Et ante eum *Turpilius : *Sola res eſt † quæ homines abſentes, præſentes facit*. Rectè igitur dixi, *abſentes*. ſed addidi etiam *quaſi abſentes* : quòd interdum ea vſurpata ad præſentes. Ita Auguſtus * *ſermones grauiores cum Liuiâ ſuâ non niſi in ſcriptis & è libello habebat*. Et idem Iuliam ſuam in Amphitheatro * *admonuit ſcripto*. Quin mos ille ſub Tiberio principe * *etiam præſentem ſcripto adire*. quem originem ſumpſiſſe à Iulio Cæſare ex Plutarcho colligas : qui *primus* (inquit) *rationem repperit amicos per litteras conueniendi, cùm coràm agendi nec occupationes nec magnitudo vrbis ſemper occaſionem daret*. Atque id genus propriè Codicellos appellabant. Senecæ ea mens epiſt. LVI. *Video te mi Lucilli cùm maximè, audio, adeò tecum ſum, vt dubitem an incipiam nõ epiſtolas, ſed codicillos tibi ſcribere*. Hæc definitio Epiſtolæ. ex quâ partes præcipuas eius duas facio: Materiam & ſermonem.

*Lib. II.

*Apud Hier. epiſt. XLII.

† Velim tranſponi, vt fiat Trochaïcus: *homines abſentes quæ preſ*

* Sueton. cap. XXCIV.

* Macrob. II Satur.

* Tac. IV. Annal.

CAPVT III.

Materies definita, diuiſa, & de præmiſsis Epiſtolæ.

MATERIEM dico REM QVÆ SVBIECTA SCRIPTIONI. Ea duplex, Solennis & Varians. Solennis, QVÆ IN OMNI EPISTOLA, EADEM AVT PÆNE EADEM, ET QVASI EX FORMVLA RECVRRIT. Qualia ſunt, Præloquium, & Clauſula. Præloquium intellego, QVOD EX RITV PRÆMITTITVR: vt Nomina & Salus. In nominibus olim receptum, vt in ipsâ fronte epiſtolæ bina ſemper ponerent, Suum & Alienum: illo præpoſito, etiam ad digniorem. Cum cauſsâ. quoniam prima legentis cogitatio & deſiderium, eſt ſcire à quo miſſa. Etiam hoc ſeruatum, vt nomina nuda, nec blandiẽtia aut laudantia verba, ſibi alterive tribuerent. excipio, ſiquis in imperio aut magiſtratu. Tum enim verbo additum *P. Seruilius Rullus Trib. pl. x. vir Cneo Pompeio proconſuli*. At Epitheta nulla: niſi ad vnicè caros aut domeſticos. quos interdum *Humaniſsimos*, *Optimos*, *Suauiſsimos*, *Suas animas* appellabant, & receptiſſimo verbo *Suos*. Quod poſtremum interdum etiam ad leuiter notos vſurpabant. vt apud Liuium: *Prætores Syracuſani Marcello Suo*. Priſci interdum: ſed labens ætas paſſim & omnibus dedit. adeò vt Imperatorem ipſum ſanè quàm familiariter *Suum* ſalutet Plinius in magni operis præfatione. Ab hac mente Martialis:

Lib. XXIV.

Lib. XIV.

Seu leuiter noto, ſeu caro miſſa ſodali,
Omnes iſta ſolet charta vocare SVOS.

Et in Plinij Iunioris epiſtolis vix aliter legas: ſicut & Pandectarum aliquot locis. Olim iſta. Ego hodie temperem ad vſum noſtri æui; & alieno ingenio inter-

interdum seruiam potiùs, quàm meo. Ad doctos, probos, simplices simplicia hæc seruem: ad magnates aliter; nec temere nomen meum præposuerim, & appellandi formulâ potiùs scripserim, *Maximè Rex, Illustrißime Princeps, Amplißime Domine*, &c. Misera ostentatio scientiæ, quæ risum aut offensam debet; vtique in epistolâ, quæ tum demum rectè scripta, cùm videtur illi cui scripta. At de Salute, clarum est olim eam post ipsa Nomina adiectam: haud dubiè ex colloquiorum more, quo in occursu statim salutamus. Græcis simile: quibus χαίρειν precari in vsu fuit, aut εὖ διάγειν: quæ Epicuri salutatio: Vide Diogen. Laërt. in Plat. aut εὖ πράττειν: quod disputatiunculâ quâdam præfert Plato ad Dionysium. Horatius, non præter Epist. III. solitum Græcus, expressit ista:

> *Celso gaudere & bene rem gerere Albinouano*
> *Musa rogata refer.* ———

Omittebant hæc interdum, & præsertim Reges, quasi per maiestatem. Plutarchus notat: *Alexan-* In Phocione. *drum, victo Dario, abstulisse ab epistolis,* τὸ χαίρειν, *(illud Saluere) exceptis quas Phocioni scribebat. quem vnum, sicut Antipatrum, compellabat, post Salutem dictam.* Pertinere etiam ad Præloquium videatur vetus ordiendi formula, S. V. B. E. E. V. quæ in priuatis litteris frequens; in publicis perpetua, etiam posteriore æuo. Concipi solet & his notis: S. V. G. E. V. id est, *Si vales, gaudeo, ego valeo.* Quæ apud Oppium de bello Hispaniensi lectæ, frustrà turbant & ad mutandum impellunt eruditos.

CAPVT IV.

De iis quæ ad finem epistolæ, itemq; de Signo.

AD Clausulam venio: quam appello TERMINVM EPISTOLÆ ET FINEM. In eâ

hæc quinque ſolennia ferè inſunt: I. *Valedictio.* quæ inſerta pariter ex ſermonis ritu, quo abeuntes alter alteri bene precamur. Expreſſa antiquis ſimplici verbo Vale. Ouidius:

v. Triſt.

Accipe, quo ſemper finitur epiſtola verbo,
Atque meis diſtent vt tua fata, Vale.

Interdum *Haue, Salue:* nec indecôrè cum adiectiunculâ *mi anime, mi ſuauiſsime*. Aut alio verbo ad argumentum apto: *Vale & veni, Vince & vale*. Interdum & voto concepta: *Deum precor vt te ſeruet, conſilia tua fortunet,* &c. Quæ omnia cùm iudicio imitanda aut immutanda pro re & perſonâ. II. *Loci adiectio*. quæ neceſſaria inter abſentes: niſi ſi de eo planè conſtet. Itaque Ciceroni crebrò omiſſa: & in pari cauſsâ omittenda nobis. III. *Temporis*. in quo dies ſemper; annos plurimùm: horas interdum notatas inuenies. IV. *Subſcriptio*. quæ priſcis ignota: niſi fortè in litteris ad Imperatores; quibus ſubſcriptum per ſpeciem honoris & obſequij, **Deuotos ſe eſſe*. Nos tamē vſurpamus. nec damno apud grandes aut ignotos: apud familiares vacuum videatur, imò vile. V. eſt *Superſcriptio*, quæ nobis inter legitima, veteribus raro fortaſſe vſurpata. Dabant enim plerumque & mittebant per Pueros ſuos aut Tabellarios notos; nec aliud in exteriore epiſtolâ quàm Signum & Linum. Illud plerumque erat * Imago propria, aut alicuius è maioribus, impreſſa ceræ ſiue cretæ. De cerâ notum eſt: de cretâ, veniſſe in hunc vſum Cicero oſtendit IV. in Verrem; *Signum iſte animaduertit in cretulâ*. Et pro Flacco, *Aſiaticam cretam* in hac re appellat. Linum fuit, vinclum quo epiſtola obligata, & cui ſignum ipſum impoſitum impreſſumque. Plautus:

*Ex Dione LVII. Suet. Tib. XXXII. Et priſcis lapidd. D. N. M. Q. E. id eſt, *Deuotus Numini Maieſtatiq; eius.*

* *Siue aliâ aliquâ vt Auguſtus Sphynge ſignare ſolebat, poſteâ imagine Alexandri, poſtremùm ſuâ.*

Cedo tu ceram ac linum: age, obligâ, obſigna citò.

Nec aperire epiſtolam fuit, niſi illo ſoluto. Inde

apud

apud Curtium : *At Parmenio vinculum epiſtolæ ſoluit.* Lib. VII.
Apud Ciceronem : *Incidere linum.* & paſſiuâ vulgataque phraſi, *Soluere epiſtolam*. Ferè autem ſignum cum eo fractum . ideoque iubebant ſemper ante apertionẽ Signa agnoſci, fidei cauſsâ. In Plautinis:

Accipe, hem cognoſce ſignum.

Iterum:

Cape, ſignum noſce.

Cicero in Catil. *Oſtendi tabellas Lentulo, & quæſiui cognoſcerétne ſignum? Annuit. Eſt verò inquam imago aui tui clariſſimi viri.* Salluſtius : *Pellectis litteris, cùm priùs omnes ſigna ſua cognouiſſent.* Hoc curioſè ideò: quia ſigno corrupto facile & tutum negare à ſe ſcriptam. vtique cùm dictaſſent (vt ſæpe) & alienâ manu eſſet. Ita olim. nec tamen rigidè abnuo, quin aliquando ſuperſcriptum. Plutarchus in Dione, inter plures epiſtolas quæ adlatæ, μία δ' ἦν, inquit, ἔξωθεν ἐπιγεγραμμένη, τῷ πατρὶ παρ' Ἱππαρίνου: *Vna erat exterius inſcripta, Patri ab Hipparino.* Quod pro eorum opinione ſit, qui volunt ea quæ in capite ac fronte epiſtolarum veterum ſemper legimus, fuiſſe Tabellarij cauſsâ, in earum dorſo. Sed quidquid huius ſit, nobis ſuperſcriptio vſurpanda: ſiue ob ignotos ignoranteſque Tabellarios, ſiue magis ob receptiſſimum morem, cum quo fruſtrà pugnemus. Quin & Titulus, eodem auctore, vti ſuadeam: ſine ambitione tamen aut profeſsâ nimis adulatione. Hæc Solemnis Materies epiſtolæ. in quam licet aduocem Epiſtolas totas, quas *Formales* * Suetonius appellat. Eæ de vnâ aliquâ re, vnâ ac ſimili formâ, ad plures ſcribuntur: in negotiis publicis, inque aulis Principum etiam hodie vſitatæ. quas ipſas *Canonicas* (niſi fallor) * Caſſiodorus appellat.

* In Domit. cap. XIII.

* Lib. II. Var. Epiſt. XXIII.

CA-

CAPVT V.

De Materie variâ, eiúsque sectione.

AT Variantem Materiem appello, QVÆ DIVERSA IN QVAQVE EPISTOLA EST: IPSA OCCASIO SCRIBENDI ET CAVSSA. Ea multiplex: nec minùs latè patet quàm hæc vita. Quid enim rei diuinæ aut humanæ est, quod non sermone communicamus? ergo & Litteris, quæ alter sermo. Sed tamen diffusam coërcere his terminis posse videor: vt omnis ea sit triplex: *Seria, Docta, Familiaris*. SERIAM dico, *quæ ad publica aut priuata pertinet, sed vberiùs ea tractat, & cum curâ*. Id genus inter publica sunt: *Narrationes, Dissertiones, Deliberationes, de statu rerum, de militiâ, de pace*, & his talibus. Inter priuata; *Consolationes, Admonitiones, Petitiones, Obiurgationes, Excusationes, Suasiones, Laudationes*; & vno verbo, quicquid paullò magis seriò scribimus, & vnà in re velut figentes pedem. Quod genus sæpe incurrit, & plerumque necessariò, interdum animi caussâ, vsurpatur. DOCTAM dico, *quæ ea quæ ad scientiam aut sapientiam, cōtinet; & res non epistolæ, epistolæ veste velat*. Talis triplex: aut enim *Philologa* est, & in amœnioribus studiis occupatur, vt olim Varronis Quæstiones Epistolicæ, Valgij Ruffi Quæsita per Epistolam. Aut *Philosopha*, & de Naturâ vel Moribus agit: vt Senecæ nostri epistolæ; sed & Platonis. Aut denique *Theologa*, quæ in sacris rebus dedita: vt sunt Augustini, Hieronymi, Cypriani, Basilij, Gregorij vtriusque. Denique FAMILIAREM dico, *quæ res tangit nostras aut circa nos, quæq; in assiduâ vitâ*. Ea propria & creberrima Epistolæ materies: &, si verū fateri volumus, germanæ illius vna.

Cui

Cui priora illa duo, *Seria*, inquam, & *Docta* ſæpe admixta: ſed admixta; variumque ei ſemper nec ſimplex argumentum.

CAPVT VI.

De Inuentione pauca & Ordine.

SATIS de vniuersâ Materie dictum: de Inuentione & Ordine addendum aliquid eſt: ſed breuiter. Nam ad inuentionem vberibus præceptis quid opus? Cùm ſemper ea prompta; nec ad Epiſtolam ſcribendam veniatur, niſi argumento concepto, & mente (vt ita dicam) tumente. Quod in *Familiaribus* veriſque Epiſtolis perpetuum eſt: In *Seriis* aut *Doctis* paullò aliter. quibus quomodo aggerenda aut amplificanda Materies ſit, nihil hîc ego: ſed Rhetorum te libri docebunt. Nec in *Ordine* quidem admodum laboro: qui optimus in Epiſtolâ, neglectus aut nullus. Vt in colloquiis incurioſum quiddam & incompoſitum amamus: ita hîc. Adeò vt nec in Reſponſionibus ordine & diſtinctè ad capita ſemper reſpondeamus: ſed vt viſum, atque vt hoc illúdve in mentem aut calamum venit. Omnino decôra eſt hæc incuria: & magnus * Magiſter rectè monuit, *Epiſtolas debere interdum ballucinari*. Itaque ille ipſe hæſitat, reuocat, turbat, miſcet: nec quicquam magis curaſſe videtur, quàm ne quid curæ præferret. Tamen in *Seriis*, non nego de Ordine paullò magis ſatagendum: ſed ita, vt ſemper infra Oratoriam illam diligentiam conſiſtas, & imitere eam, non æques. Præceptis cur te alliges? Vt Imperatori in acie certus aliquis ordo eſt, nec tamen vnus: ſic tibi in omni materie; quam pro re, pro iudicio diſpone.

* Cicero ad Attic.

CAPVT VII.

De Sermone. quæ de eo dicenda; & primum de Breuitate.

VENIO ad Sermonem: cuius caussâ, fateor, Institutio hæc suscepta. Nam de Materie, totum mediocris cuiusdam prudentiæ est: & vix peccatur. at in Sermone, Labor & Error est; nec corpus illud hodie crebrò cultum vidimus (liberè effero) decenti hac veste. Sermonem appello, ELOCVTIONEM ET STILI MODVM EPISTOLÆ APTVM. Is vt talis fiat, dupliciter eum considerabo: *Vniuerse* & *Distinctè*. Vniuersè; in toto Habitu & conformatione epistolæ: Distinctè; in partibus, id est *Phrasi* & *Verbis*. De habitu igitur sermonis epistolici, præcipio vt quinque ista serues: *Breuitatem, Perspicuitatem, Simplicitatem, Venustatem, Decentiam*. Prima illa, prima mihi sermonis virtus est: adeoque epistolæ propria; vt, si longior, (cum Demetrio sentio) Libri iam nomen assumat, Epistolæ amittat. Cùm tam multa ea nuntiet, quî debet multis? Addo, quòd vt in sermone aut fabulis, sic in epistolis odiosa garrulitas. Quam tamen, quod obserues, imperitissimus quisq; affectat; & loquentes ferè plurimùm, qui minimùm eloquentes. Vt corpore tenues, veste se dilatant; sic qui ingenij aut sapientiæ inopes, diffundunt se verbis. At Breuitas mihi amata, & iis qui sapiunt: si tamen cum iudicio ea vsurpata & modo. Peccari enim & hîc posse scio: & vt in sagittâ mittendâ, non minùs aberrat qui citra scopum, quàm qui vltra iaculatur; sic in scribendo, quisquis pauciora quàm pro re, aut plura dicit. Modum autem à materie specto. si *Seria* Epistola aut *Sapiens*, diffundi paullò magis velim, & rei

per

per se graui addi verborum aliquod pondus. Si *Familiaris*, contrahi: nec res tenues ac multas onerari laciniâ sermonis. Scilicet vt vela pro magnitudine nauium: sic verba debent esse, pro rerum. Iudicium porrò sumo à personis; idque dupliciter: A *Qualitate*, à *captu*. Ab illâ: vt si ad Ignotos aut Magnates scribitur; vberior & floridior paullò epistola sit. quia stricta illa breuitas apud hos tales, non abest à contemptu. Aliter, si ad amicos aut æquales. A Captu: vt si ad leuiter doctum aut acutum, si ad iuuenem. extendam tunc profectò, nec tenebras ingeniis offundam per se parùm claris. Atque id mihi in omni personâ valdè notâ: vt illi, inquam, te stilumque tuum attemperes. quoniam caput artis, scribere accommodatè. Quî fiet igitur Sermo breuis? obseruatione triplici: *Rerum, Compositionis, Verborum. Rerum*; vt superuacuum nihil admisceas, nil repetas; inprimis non capita ad quæ respondes. *Compositionis*; vt structuram & periodum longiorem omnem fugias: membris vtare, & asyndetis sæpe. *Verborum*: vt lætior omnis phrasis, allegoria, imago abdicetur: parca & pura oratio sit, necessariâ supellectile verborum contenta.

Habes de Breuitate; quæ viris mihi dicta, non iuuentuti, sunto. adeò enim hanc ad eam non voco, vt etiam absterream: siue quia tutò adsumere vix potest, & Breuitatis imitatio facillimè ætatem hanc decipit: siue quia nec vtiliter potest, & iuuenili illo breuitatis studio (sæpe vidimus) aridus plerumque & exsuccus stilus euadit. nec facilè ad laudatam illam temperiem venitur, nisi initio vbertas quædam & luxuries sit, quam ætas paullatim depascat.

Caput VIII.

De Perspicuitate; quî peccetur in eam, quî paretur.

Virtvs altera, *Perspicuitas*; de industriâ à me Breuitati subtexta, quia periculum magnum huic ab illâ. Quàm ardua, quàm rara illa Breuitas, quæ non præteruolet aures aut defraudet? in quâ legentis sensus non opus sit intendi? Atqui semel hoc imbibe: summum in sermone vitium esse, non solùm non capi, sed etiam ægrè capi. In quo peccât quidam Naturâ, qui ipsi obscuri & reconditi talia efferunt: plures, Studio; qui nihil doctum, aut laudabile putant, nisi reconditum, & quod fugiat vulgares mentes. Stulti! quia malè ingeniosus ille, ad quem capiendum opus est ingenio: præsertim in Epistolâ, quæ arbitrum aut interpretem non quærit. Clarè ergo scribito, si potes, & breuiter. sed ita, vt hoc laudis esse scias; illud necessitatis. Clarus autem sermo erit, precepto triplici: Si verba in eo propria; si vsitata; si collocata.

Caput IX.

De Simplicitate duplici; & ad hanc monita.

Tertiam virtutem posui Simplicitatem: intellectu duplici. quia & in Stilo eam exigo, & in Mente. De Stilo: certum, & veterum exemplo testatum est, simplicem eum esse debere, sine curâ, sine cultu; simillimum cottidiano sermoni. Itaque Demetrius, vt Dialogum, Epistolam scribi vult: & ipse Cicero, *texi eam quotidianis verbis*. Seneca apposite: *Qualis sermo meus esset, si vnà sederemus aut ambularemus, illaboratus & facilis: tales volo esse epistolas*

meas

meas. Quod feminas ornare dicitur, non ornari: hoc epiſtolam. quam ſequi decor debet, non ab eâ aut in eâ affectari. At de Mente: ita intellego; vt ſimplex quiddam & ingenuum in totâ ſcriptione eluceat, & aperiat cādorem quemdam liberæ mentis. Nullâ enim ex re magis natura cuiuſq; & certa indoles elucet (Demetrio verè ſcriptum) quàm ex epiſtolâ. Itaque optima ea tibi repræſentanda, & inprimis illi ad quem ſcribis amica. vt inquam lenium affectuum & beneuolētiæ illud, vt ſic dicam, ſaccharum, inſpergatur; fiatque delectabilis, & ad legentis guſtum. Quo in genere Cicero vnicus, & vnicè imitandus. Præceptis enim aliis res non continetur. Cautionem addo ſiue exceptionem: pro re interdum epiſtolam aſſurgere, & paullò ſtudioſiùs ſcribi (vt in Seriis:) ſed tamen ita, vt ſimplicitatem totam non exuat; & ornamenta interdum habeat, lenocinia numquam. Nam illæ quæ ad pompam & oſtentationem ingenij ſcriptæ (quales Philoſtrati & Phalaridis, item Syneſij & Plinij nonnullæ) neſcio an tueri nomen veræ epiſtolæ poſſint apud iudices veros.

CAPVT X.

Iunctim de Venuſtate & Decentiâ.

RELIQVÆ mihi duæ virtutes, *Venuſtas* & *Decentia*: etſi vix reliquæ. Vtraque enim eiuſmodi, vt admonere de eâ breuiter poſſim, non docere. Illa ab Ingenio tota eſt; hæc à Iudicio: quorum vtrumque ſpernit ligari præceptorum his vinclis. *Venuſtatem* appello; *cùm ſermo totus alacer, viuus, erectus eſt, & allicientem quamdam gratiam Veneremq; præfert*. Quod natura ferè dat: nonnihil tamen & duplex hæc monitio. Primū, vt Adagia Alluſioneſq;

ad dicta aut facta vetera, versiculos aut argutas sententias vtriusq; linguæ interdú immisceas. Secundùm, vt iocis salibusq. opportunè condias; quos animam & vitam epistolæ esse non fugiam dicere.

At *Decentiam* intellego, id quod Græci τὸ πρέπον: quæ tum in epistolâ, cùm omnia aptè & cōuenienter scripta. Quod fiet aspectu duplici: *Personæ* & *Rei*. *Personæ* dupliciter; si tuam respicis, & eius ad quem scribis: Rei autem, simpliciter; vt omnia pro argumento; & sententiarum phrasiumq; vestis apta sit corpori rerum. Magna hæc, sed occulta virtus: nec immeritò *Cicero monuit, *vt in vitâ sic in oratione, nihil difficilius esse, quàm quid deceat, videre*. Nec verba hîc perdam: quia scio Iudicij totam hanc rem esse: quod à Deo & à naturâ pete, non ab Arte.

*In Orat. ad Brutum.

CAPVT XI.

Ad Sermonem distinctè transitum. eum parari Imitatione: ad hanc tria præcepta. & primùm de ijs qui, & quando, legendi.

DIXI vniuersè de Sermone: magis distinctè ad partes eius transeo, *Phrasim* & *Verba*. Illam appello, VOCES DVAS AVT PLVRES IN SENTENTIA IVNCTAS: Hæc, VOCES IPSAS SINGVLAS. In illis *Elegantia* & *Nitor* requiritur: in his *Latinitas* & *Proprietas*. Ea omnia hodie, vel ex *Auditu* haurienda sunt; vel ex *Lectione*. Ex illo leuiter; quia nec adhærent audita animis, æquè ac lecta: nec est ferè vt optima audiantur. quia & rarus Latinus sermo, & pauci eâ curâ loquuntur quâ scribunt. Itaque doctissimi ac disertissimi, sæpe in sermone alij; nec temerè exemplū vidimus aut videbimus eloquētię, quā formauit Auditio sola. Lectio igitur magis tuta, magis vtilis. sic tamē, vt *Imitatio* ei adiuncta sit: sine

quā

quâ languida hæc,imò vana.*Imitationẽ* dico, SERMONIS NOSTRI AD SERMONEM VETEREM, APTAM CONFORMATIONEM, ET STILO EXPRESSAM. A quâ (vno verbo dicam) ſpes omnis creſcendi huic ſegeti Phraſium & Verborum. Nam Ars alia,quicquid conentur,non magis diſertos fecerit,quàm vates ſomnium in Parnaſſo. De illâ igitur cũ curâ & ad vſum dicam:& quidem hæc tria, *Quos & Quando legas: Quid & è quibus ſeligas: Quid exprimas & quid vites.* In primo: vtinã ea copia ſcriptorum hodie, vt iure ambigua haberi hæc lis poſſit! Pauci relicti veteres: quis controuertet quin ij legendi omnes ſint? niſi fortè nuper aliquot Itali, qui in arctum reductam eloquentiam cõcluſerunt finibus tantùm Tullianæ lectionis. O vani & faſtidioſi! non ſolùm prẹter mentem magiſtrorum veterum,ſed præter rationem præterque vſum. Quos nunc non refello; & adhæſiſſe olim me ſcio paullò iuueniliùs, donec repreſſit & reuocauit maturioris iudicij frænum. Tu mecum, omnes legendos imitandosque tibi certò ſtatue : non ſimul tamen aut omni æuo. Diſcrimen aliquod temporum eſt,quod vtiliter enotabo. Eſt *Puerilis* quædam & prima Imitatio, eſt *Creſcens*, eſt *Adulta*: In illâ primâ, Italorum hæreſis mihi placeat: & aliquamdiu Cicero non præcipuus ſolùm legatur, ſed ſolus. Cui fini? vt corpus ſcilicet illud & contextus orationis primùm ſeriò formetur vno quodam habitu,& æquabili ſermonis filo. Neſcio an idem cenſerem, ſi Caluus, Cælius,Brutus, Cæſar,& alij è claſſe Oratorum extarent. Sed, vt hodie res eſt, quis præter Tullium periodos, membra,numeros,& continuatam illam orationis ſeriem nobis ſuggeſſerit? A quâ, me quidem iudice, neceſſariò initium faciendum iuuentuti. Vt pictor cùm tabulam accepit, primùm

hominem totum delineat; colores mox aptos quærit, & addit cuique parti: sic meus Imitator, corpus eloquentiæ suæ formet, pigmenta deinde variè conquirat. Nisi facit, (crede iuuentus, aut serò credes:) hiulca semper, incomposita, & è variis varia quædam stili forma gignetur, nec satis sibi constans. quotidie video; & peccati caussam non ignoro. Cicero igitur primus primas teneat: & teneat solus. Sed quamdiu? pro ingeniis tempus definiam: in molliore aliquo, annum; in duriore, alterum etiam annum. Et addo non inutiliter, sub hanc ipsam curam, Manutij epistolas, Sadoleti, Bembi, Bunelli, atque in primis Longolij nostri, legi posse. non quia ipsi (liberè dicam) valdè probi; sed quia puerili quodam affectu Ciceronis illam orbitam anxio pede presserunt, ideóque per eorum vestigia tutior & facilior tibi cursus. At in *Crescentem* & *Iuuenilem* Imitationem alios admitto: sed successu tamen; nec vt saltu pergas, sed per quosdam velut gradus. Itaque meo consilio, eos hîc primùm adeas qui à Cicerone minimùm abeunt, & qui copiâ, suauitate, fluxu dictionis, referant beatam illam facilemque naturam. Qualis Fabius inprimis, & nonnihil Q. Curtius, Velleius, Liuius, Cæsar: similiores futuri, nisi retinuisset & stitisset alia species argumenti. Hos igitur tunc lege, sed leuiter: ac cum omni studio Plautum & Terentium; qui semel corpore illo Sermonis & tamquam ædificij formâ constitutâ, vtilissimè adhibebuntur ad poliendas omnes partes. Verborum proprietas à quibus petatur meliùs? à quibus Phrasium ille nitor Atticus? Iam venus, & lepor & comitas à quibus vberiùs hauriatur, quàm à meo Comico? Plautum enim hîc solum intellego; & præpono (nec impono: quia ex animo

ita ſentio) omnibus, qui in Latio aut Græciâ imbuerunt chartaceum hoc æquor. Hi ad Epiſtolam (de Orationibus enim aliter cenſeo) & familiarem ſcriptionem inprimis apti: quia reuerâ epiſtola, quid aliud, quàm cottidiana diſſertatio? vt non errârit Artemo apud Demetrium, qui cenſet eodem modo Dialogum & Epiſtolam ſcribi. Et Plinius ab eâdem cauſsâ, epiſtolas matronæ cuiuſdam dilaudans, cum Plauto & Terentio metro ſolutis eas componit. Quin ipſum Plinium, in ſecundâ hac *claſſe iure* colloco, terſum, acutum, nitidum: ſed non ſine deliciis molliculum interdum, & parùm virum. Cui comitem nouum do, ſed maiorem nouis, Etruſcum illum Angelum, qui (niſi quòd affectatæ interdum & quæſitæ in eo argutiæ) cum illis ipſis priſcis pari paſſu decurrere poſſe videatur Epiſtolarum hunc campum.

Hoc velut tirocinij biennium ſit: quo manus hęc ſtili coërcenda nonnihil intra puram togam. cui iam deinceps, in *Adultâ* Imitatione, liberè permittam exerat ſe & vagetur per ſcriptorum omne genus. Legat, videat, & flores ex omni prato carpat ad Eloquentiæ hanc corollam. Sed inprimis ſuadeam Salluſtium, Senecam, Tacitum, & id genus breuium ſubtiliumque ſcriptorum iam legi, quorum acutâ quaſi falce luxuries illa pauliſper recidatur; fiatque oratio ſtricta, fortis, & verè virilis.

Finij de parte primâ: niſi quod leuiter addo, perutile futurum eumdem illum Ciceronem legi cottidie & relegi, veſpertinis præſertim horis, &, ſi oportunitas feret, ſub ipſum ſomni tempus. Mens tunc neſcio quomodo meliùs arripit, retinet, & concoquit per quietem. Tenta, reperies in leui monito non leue momentum.

Capvt XII.

De Excerptis; quo ordine ea instituenda, & à quibus singula carpenda.

QVID *seligas & A quibus*, partem feci alteram. de quâ etsi exemplis dicere faciliùs possem, quàm scriptis; tamen breuiter hæc habe. Lectionem ipsam non sufficere, ne repetitam quidem, imò nec in felicissimâ memoriâ: sed opus esse *Excerptis* quibusdam & *Notis* rerum verborumque singularium, quas imitemur: quæ excerpta memorialibus libellis, tamquam ærario, contineri velim, vnde sermonis illæ opes per tempus & ad vsum promantur. Fieri autem libellos triplices: vnum, quem *Formularum* dixerim; alterum, quem *Ornamentorum*; tertium, quem *Dictionis*. Duo illi ad sermonem vniuersum magis pertineant, tertius ad distinctum. In primo, Formulæ mihi duplices: Ad *contextum* istæ: *Ordiendi, Narrandi, Continuandi, Transeundi, Abrumpendi, Claudēdi:* Ad *Materiem*, istæ: *Rogandi, Gratias agendi, Operam offerendi, Laudandi, Vituperandi, Asseuerandi:* & quicquid istarum rerum communium est, quæ in epistolam creberrimè incurrunt. Secundus, *Ornamentorum* liber est. in quo distinctè & per capita collocauerim hæc: *Similitudines, Allegorias, Imagines, Acutiora dicta, Sententias,* & siqua eiusmodi illustria lumina sermonis. Tertius, *Dictionis*. quam diuido in duas partes, *Phrasium & Verborum*. Phrases quidem enotari velim, quæcumque insigniores aut nitidiores occurrent: Verba, quæcumque rara, noua, aut nouo sensu siue flexu vsurpata. In Phrasibus dispositionem non video; nisi quòd seorsim eas poni velim, pro discrimine scriptorum: Tullij solas, Plauti & Terentij

solas,

ſolas, Hiſtoricorum ſolas: quod quiſque pro iudicio ſuo aut induſtriâ facito. In verbis ordinem ſolùm ſeruem Alphabeti. Hæc ſunt quæ ſelegi velim. Sed à quibus? non enim promiſcuè ab omnibus: ſed ad iudicium paucis tibi ſic præibo. *Formularum* liber à Cicerone maximè compleatur; addo Plinium, Politianum, aut ſi quid aliunde transferre aut haurire poteris opportunè. *Ornamentorum*, à Cicerone, Fabio, Plinio, Hiſtoricis, Senecâ, etiam à Græcis, & inprimis Plutarcho. *Phraſium* exempla à Cicerone maximè, & Comicis petantur: nonnihil ab Hiſtoricis, atque etiam ab aliis quos non attigi, Varrone, Agellio, Suetonio, Iuriſconſultis, imò & interdum Appuleio. *Verborum*, vno verbo, ab omnibus: nec inutiliter etiam à Grammaticis & Gloſſariis antiquis.

CAPVT XIII.

De Expreſſione & formatione Stili, per tria genera Imitationum.

TERTIVM illud vtiliſſimum ſequitur, *Quid exprimas, & quid vites*. Fruſtra enim priora illa duo, ſi non iſtud: nec lectio aut ſelectio adiuuerint, ſine probâ expreſſione. Ea vt talis ſit, per triplicem Imitationem diſtinctè te ducam, & quid ſequare in vnaquaque dicam, & quid vites. In *Puerili*, duo hæc tibi propone. Primò, vt formulas inprimis & communia illa contextus totius imitere: ſecundò, vt ductum, numeros, lineamenta & faciem Tullianæ orationis. Et imitere, non induſtriè ſolùm, ſed pænè adfectatè & cupidè: ſic inquam, vt color quæſitus & fucus appareat, imò & furtum. Vt pueros nihil pudet, cùm ſcribere diſcunt, per ſingulos

litterarum apices alienâ manu duci: non item hîc te. Clausulas, membra, & periodi cuiuspiam partem cum veniâ sæpe inseres; & Centonem è Tullij purpurâ contexes, paullò post daturus tuam. Exercitij genus quod olim in Germaniâ huic rei proposui, dicere operæpretium habeo, etsi non dictare. Fuit tale. Hæc sequêre: quid fugies? nihil, nisi ea quæ Grammatici vitant. At in *Crescente*, crescat mihi paulisper iudicium, & seruari præcipiam hæc tria. Primum, vt in furtis iam verecundior sis; non enim vltrà decet. Secundum, vt in Formulis exprimendis remissior; non enim vltrà opus. Sicut digiti in citharâ ægrè & cum intentione initio ponuntur, iidem posteà ad chordas & numeros spontè veniunt: sic mens istis paullùm assuefacta. Tertium, vt Phrases & Verba meliora vndique assumas; & formes, vt sic dicam, cutem illam orationis tuæ externam. Atque hæc sanè præcipua hîc cura. quid vitandum? vitium agnatum Verborum delectui, nimia asperitas aut antiquitas. Quod in Comicis imitandis præcipuè mihi caue, & ne quid aut sordidum ab iis dictio tua trahat, aut obsoletum. Nam vt imperiti pictores in facie exprimendâ, rugam, næuum, verrucam facilè imitantur, indolem negligunt, & ipsum vultum: sic sæpe adolescentes rara aut exstantia verba excerpunt, ingenium omittunt & genium dictionis. Quæ autem verba sordida? quæ iacent, repunt, è fæce vulgi & è triuiis sumpta, nec nisi iudicio discernenda. Quæ obsoleta? notæ duplicis: Naturâ & opinione. Illa dixerim, quæ reuerâ talia sunt: hæc, quæ sensu dumtaxat vulgi. Nam hodie ita inualuit, vt quicquid ignotum, nec tritum auribus imperitorum, obsoletum censeatur; quamquam ab optimis auctoribus petitum, & ab optimo illo æuo. Priora

igitur aut planè vitabis, aut non nisi cum excusatione & interfatiunculâ vtêris: ista etiam appetes, & intexes sermoni tuo tamquam gemmas. De quo toto genere, opportuniùs monebo & instruam per exempla. Superest Imitatio vltima, siue *Virilis*: in quâ hoc præcipio, non tam exteriorem illum ornatum spectari debere, quàm virtutes & cultum internum: id est, Figuras, Imagines, Acumina, & ea quæ appellaui Ornamenta. In quo vna cautio, vt cũ oratio perfici iam incipiat, & summa illi manus imponi, κακοζηλία vitetur & Affectatio: infelix sanè vitium, & quod obrepit specie virtutis. Ea est, nimium cultus studium, & sine modo. Quod per te ægrè videas aut vites: felix cui doctor hîc aliquis aut monitor amicus.

Hæc dictanda mihi nunc super Epistolis censui: cum fructu nonnullo eorum, spero, qui audierunt; vereor vt exiguo, qui tantùm legent.

Ἐκ τῶν Δημητρίου Φαληρέως περὶ Ἑρμηνείας.

Ἐπεὶ δὲ καὶ ὁ ἐπιστολικὸς χαρακτὴρ δεῖται ἰσχνότητος, καὶ περὶ αὐτοῦ λέξομεν. Ἀρτέμων μὲν οὖν, ὁ τὰς Ἀριστοτέλους ἀναγράψας ἐπιστολὰς, φησὶν, ὅτι δεῖ ἐν τῷ αὐτῷ τρόπῳ διάλογόν τε γράφειν καὶ ἐπιστολάς· εἶναι γὰρ τὴν ἐπιστολὴν, οἷον τὸ ἕτερον μέρος τοῦ διαλόγου. καὶ λέγει μέν τι ἴσως, οὐ μὴν ἅπαν. δεῖ γὰρ ὑποκατεσκευάσθαι πως μᾶλλον τοῦ διαλόγου τὴν ἐπιστολήν. ὁ μὲν γὰρ, μιμεῖται αὐτοσχεδιάζοντα· ἡ δὲ, γράφεται καὶ δῶρον πέμπεται τρόπον τινά. τίς γοῦν οὕτως ἂν διαλεχθῆ πρὸς φίλον, ὥσπερ ὁ Ἀριστοτέλης πρὸς Ἀντίπατρον, ὑπὲρ τοῦ φυγάδος

EX DEMETRII PHALEREI DE ELOCVTIONE.

QVONIAM verò & Epiſtolicus character Exilitate indiget, etiã de ipſo dicemus. Artemo igitur, is qui Ariſtotelis epiſtolas collegit & euulgauit, ait *eodem modo oportere Dialogum & Epiſtolas ſcribi. Eſſe enim epiſtolam quaſi alteram Dialogi partem.* Et aliquid quidem dicit, non tamen omnia. Oportet enim epiſtolam paullò magis adornari & quaſi exſtrui, quàm Dialogum. Iſte enim imitatur neglegenter & ex tẽpore dicentẽ: illa autem ſcribitur, & aliquo modo mittitur quaſi donũ. Quis igitur ita ſermocinetur cum amico, ſicut Ariſtoteles ad Antipatrũ,

γράφων τοῦ γέροντος, φησὶν; Εἰ δὲ πρὸς ἁπάσας οἴχεται τὰς φυγὰς οὗτος, ὥστε μὴ κατάγειν, δῆλον ὡς τοῖς γε εἰς ᾅδου κατελθεῖν βουλομένοις, οὐδεὶς φθόνος. ὁ γὰρ οὕτω διαλεγόμενος, ἐπιδεικνυμένῳ ἔοικε μᾶλλον, οὐ λαλοῦντι. καὶ λύσεις συχναὶ, ὁποῖαι οὐ πρέπουσιν ἐπιστολαῖς· ἀσαφὲς γὰρ ἐν γραφῇ ἡ λύσις. καὶ τὸ μιμητικὸν, οὐ γραφῆς οὕτως οἰκεῖον, ὡς ἀγῶνος: οἷον ὡς ἐν τῷ Εὐθυδήμῳ, Τίς ἦν ὦ Σώκρατες, ᾧ χθὲς ἐν λυκείῳ διελέγου; ἦ πολὺς ὑμᾶς ὄχλος περιειστήκει. καὶ μικρὸν προελθὼν ἐπιφέρει, Ἀλλά μοι ξένος τις φαίνεται εἶναι, ᾧ διελέγου. τίς ἦν; ἡ γὰρ τοιαύτη πᾶσα ἑρμηνεία καὶ μίμησις ὑποκριτῇ πρέπει μᾶλλον, οὐ γραφομέναις ἐπιστολαῖς. πλεῖστον δὲ

ſuper ſene quodã exſule, ſcribẽs ait? *Si verò ad omnia exſilia iſte ita abiit, vt * non redeat:* * non reducatur. *manifeſtũ eſt, quòd nemo inuidet ire ad inferos volẽtibus.* Nam qui ita diſſerit, demonſtranti magis quàm ſermocinãti ſimilis appâret. Et ſolutiones crebræ *in ſermone*, quales non decent epiſtolas: quia obſcurum quiddam in ſcriptione ſolutio. Et illud imitatorium, nõ tã ſcriptionis propriũ, quàm contentionis. Sicut in Euthydemo: *Quis ille erat ô Socrates, cũ quo herè in Lyceo diſſerebas? certè frequẽs turba vos circumſiſtebat.* Et paullũ progreſſus infert: *At mihi hoſpes quiſpiam eſſe videbatur qui cum loquebare. quis erat?* Hæc enim talis elocutio & imitatio, hiſtrionem magis decet, non epiſtolas ſcribentem. Plurimũ autem

Morale

ἐχέτω τὸ ἠθικὸν ἡ ἐπιστολή, ὥσπερ καὶ ὁ διάλογος· σχεδὸν γὰρ εἰκόνα ἕκαστος τῆς ἑαυτοῦ ψυχῆς γράφει τὴν ἐπιστολήν. καὶ ἔστι μὲν καὶ ἐξ ἄλλου λόγου παντὸς ἰδεῖν τὸ ἦθος τοῦ γράφοντος· ἐξ οὐδενὸς δὲ οὕτως, ὡς ἐπιστολῆς. τὸ δὲ μέγεθος συνεστάλθω τῆς ἐπιστολῆς, ὥσπερ καὶ ἡ λέξις. αἱ δὲ ἄγαν μακραὶ, καὶ προσέτι κατὰ τὴν ἑρμηνείαν ὀγκωδέστεραι, οὐ μὰ τὴν ἀλήθειαν ἐπιστολαὶ γένοιντο ἂν, ἀλλὰ συγγράμματα, τὸ χαίρειν ἔχοντα προσγεγραμμένον. καθάπερ τὰ Πλάτωνος πολλὰ, καὶ Θουκυδίδου, καὶ τῇ συντάξει μέντοι λελύσθω μᾶλλον. γελοῖον γὰρ περιοδεύειν, ὥσπερ οὐκ ἐπιστολὴν, ἀλλὰ δίκην γράφοντα. καὶ οὐδὲ γελοῖον μόνον, ἀλλ' οὐδὲ φιλικόν. τὸ γὰρ

Morale epiſtola habeat,ſicut & Dialogus. Ferè enim animi ſui ſimulacrum quiſq; & imaginem, epiſtolam ſcribit. Et eſt quidem ex aliâ omni oratione videre ac noſcere mores ſcriptoris: ex nullâ tamen æquè atq; ex epiſtolâ. Magnitudo autem epiſtolæ modica & contracta eſto, ſicut & dictio. Valdè autem longæ, & elocutione magis inflatæ, non, per Fidem, epiſtolæ ſunt, ſed Libri aut ſcripta *Saluere* illud habentia. ſicut Platonis plurima ſunt, & Thucydidis. Et conſtructione quidem epiſtola ſoluta eſſe debet magis. Ridiculum enim per periodos ire, tamquam non epiſtolam ſed iudicialem cauſſam ſcribentem: imò non ridiculũ tantùm, ſed nec familiare aut amicũ. Illud enim

quod

δὴ καὶ τὴν παροιμίαν, τὰ σῦκα, σῦκα λεγόμενον, ἐπιστολαῖς ταῦτα ἐπιτηδεύειν. εἰδέναι δὲ χρὴ ὅτι οὐχ ἑρμηνεία μόνον, ἀλλὰ καὶ πράγματά τινα ἐπιστολικά ἐστιν. Ἀριστοτέλης γοῦν, ὃς μάλιστα ἐπιτετευχέναι δοκεῖ τοῦ τύπου ἐπιστολικοῦ, Τοῦτο δὲ οὐ γράφω σοί, φησίν· οὐ γὰρ ἦν ἐπιστολικόν. εἰ γάρ τις ἐν ἐπιστολῇ σοφίσματα γράφει καὶ φυσιολογίας, γράφει μὲν, οὐ μὴν ἐπιστολὴν γράφει. φιλοφρόνησις γάρ τις βούλεται εἶναι ἡ ἐπιστολή, σύντομος, καὶ περὶ ἁπλοῦ πράγματος ἔκθεσις, καὶ ἐν ὀνόμασιν ἁπλοῖς. κάλλος μέντοι αὐτῆς αἵ τε φιλικαὶ φιλοφρονήσεις, καὶ πυκναὶ παροιμίαι ἐνοῦσαι. καὶ τοῦτο γὰρ μόνον ἐνέστω αὐτῇ σοφόν, διότι δημοτικόν τι ἐστὶν ἡ παροιμία καὶ κοινόν. ὁ δὲ γνωμο-

quod prouerbio fertur, Ficus, ficus, epiſtolæ oportet accommodare. Sciendũ autem, quòd non ſolùm Elocutio quædam, ſed & Res ſunt Epiſtolis propriæ. Ariſtoteles igitur, qui formam maximè epiſtolæ concepiſſe & aſſecutus videtur, ait: *Hoc tibi non ſcribo: non enim eſſet epiſtolicum.* Si quis enim in epiſtolâ Sophiſmata aut cauillos ſcribat, aut Naturales diſſertiones; ſcribit quidem, nõ tamen epiſtolá. Come enim quiddá vult eſſe Epiſtola; breue; & de re ſimplici expoſitio, etiá verbis ſimplicibus. Pulchritudo enim eius & decor, amica benignitas, & crebra Prouerbia inſerta. Atque hoc vnum ſapiens inſit epiſtolæ; quoniam populare quiddam eſt Parœmia, & vulgo notũ. Qui verò ſententias loqui-

λογῶν, καὶ προτρεπόμενος, οὐ δι' ἐπιστολῆς ἔτι λαλοῦντι ἔοικεν, ἀλλὰ μηχανῆς. Ἀριστοτέλης μέν τοι καὶ ἀποδείξεσί που χρῆται ἐπιστολικαῖς. οἷον διδάξαι βουλόμενος, ὅτι ὁμοίως χρὴ εὐεργετεῖν τὰς μεγάλας πόλεις καὶ τὰς μικρὰς, φησὶν, Οἱ γὰρ θεοὶ ἐν ἀμφοτέραις ἴσοι· ὥστ' ἐπεὶ αἱ Χάριτες θεαὶ, ἴσαι ἀποκείσονταί σοι παρ' ἀμφοτέραις. καὶ γὰρ τὸ ἀποδεικνύμενον αὐτὸ ἐπιστολικὸν, καὶ ἡ ἀπόδειξις αὐτή. ἐπεὶ δὲ καὶ πόλεσί ποτε καὶ βασιλεῦσι γράφομεν, ἔστωσάν τοι αὗται αἱ ἐπιστολαὶ, μικρὸν ἐξηρμέναι πως· στοχαστέον γὰρ καὶ τοῦ προσώπου, ᾧ γράφεται. ἐξηρμένη μέν τοι, καὶ οὐχ ὥστε σύγγραμμα εἶναι ἀντ' ἐπιστολῆς, ὥσπερ αἱ Ἀριστοτέλους πρὸς Ἀλέξαν-

loquitur, aut ſeriò cohortatur, non per epiſtolam iam loquēti ſimilis eſt, ſed per artem. Ariſtoteles ſanè & demōſtrationibus vtitur interdū epiſtolicis. ſicut cùm docere vellet, pariter magnis & paruis ciuitatibus benefaciendum eſſe, ait: *Dÿ enim in vtriſque æquales ſunt. itaque & Gratiæ, quoniam deæ, æquales tibi reſidebunt apud vtraſque.* Nam & quod demonſtratur Epiſtolicum eſt: & demonſtratio ipſa. Quoniam autem & ciuitatibus interdum & regibus ſcribimus, ſunto eiuſmodi epiſtolæ paullò magis eleuatæ. (mens enim dirigenda & in perſonam, cui ſcribitur.) eleuatæ tamen, ſed nō vti Liber aut commentatio fiat pro epiſtolâ. ſicut illæ Ariſtotelis ad Alexādrum, &

δρον, καὶ πρὸς τοὺς Δίωνος οἰκείους ἡ Πλάτωνος. Καθόλου δὲ μεμίχθω ἡ ἐπιστολὴ κατὰ τὴν ἑρμηνείαν ἐκ δυοῖν χαρακτήροιν τούτοιν, τοῦ τε χαρίεντος καὶ τοῦ ἰσχνοῦ. Καὶ περὶ ἐπιστολῆς μὲν τοσαῦτα, καὶ ἅμα περὶ τοῦ χαρακτῆρος τοῦ ἰσχνοῦ.

Platonis ad Dionis familiares. Vniuersè autem miſcetor epiſtola, quod ad Elocutionem, è duobus characteribus iſtis, Vrbano & Exili. Et de Epiſtolâ quidem hactenus, & ſimul de charactere exili.

FINIS.

fragment papieru
odklejony z wnętrza
oprawy. +
starze karty katalogowe
z st.dr. F.II.7

SPŁ...

...ADEM ...

GUSTAWA SE...

...wydanych

KATECHIZM ...
... nauki ...
... i przej...
...
War...

KSIĄŻKA do mod...
...
... na stałe 18...

MOWY ... przy ...
...ks. An...
War... 6 gr

MOWY ... wyp...
mi... ...ych C...
P. Rz...ski, ...185...

NAUKI PA...
przy Sakramentach ...
pisane oryginalnie przez ks. ...
wydanie drugie ... in 8vo. ...

NOWE KAZANIA PASYONALNE ...
...datkiem mów pogrzeb... ...pisa...
...ramowicz. Warsz...

PIELGRZYMKA DO JA...
WIE, odbyta przez...
k...pismu przez Mie...
1856. Zip. 18.

ROZWIJANIE UM...
Jana Bo...

Lipsius Justus

Epistolica institutio

Antverpiae

Apud Joannem Moretum

1601

8° - str. 31 - A - A_5 - B - B_5

Opr. przyg. wspólnie z „Epistolarum selectarum.

Lipsius Justus

Epistolarum selectarum

III ... quibus ...

... in lucem emissa

Antverpiae

Apud Joannem M et ...

1601

8° cent. I^a 4K + Bl. 158 – d – d – d3

" II^a Bl. 118 – d5 – M – S s5 + 1K. n.

" III^a Bl. 129 – Aa – ... – Hh5 – Ii + 2K. n.

Opr. prg. ... Epistolica ...

Lipsius Justus

Epistolica institutio

Antwerpiae

Apud. Joannem Moretum

1601

8° k. 31. – A A5 – B – B5.

opr. wsp. wspólnie z „Epistolarum selectarum"